


Parcere subiectis.

EMBLEMA XCIII.



*Cernis, ut Hellei rutilent nitor aureus agni,
 Ut comes horrisono fulguret ore leo?
 Sic est. Audaces contundere, parcere victis,
 Hac sunt qua Regum pectora signa decent.*

COMMENTARIVS.



PRÆCLARE Mihi dixisse videtur Thucydides, dum modestiam constituit, in bellis non inferendis, ubi nulla iniuria afficimur, iustitiam, in eis paci anteferendis, cum iniuria afficimur: hac autem repressa, post bellum pacem faciendam esse, nec aut successu in bellis elatos plures appetere, nec pati iniurias mollitie, & amore ocij. Nam cum bella, ut diximus, eò dirigi debeant, ut in Pace esse possimus, qui hanc, superato iam adversario, cōsequi potest, quidquid ulterius in eum sævierit, à iusto, licito, & necessario, in iniustum, crudele, voluntariumque deflectet.

Quod in cuiuslibet, etiam hostis, cæde, vitari debere, satis indicavit Cyrus, Chryfantam collaudans, quòd hostem interfecturus, iã elatum in cædem gladium revocasset. Eo quòd receptui canere audisset. Et Romani, caventes, ne vel ipsum hostem alij lacefferent, quàm qui